



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Jn Caput XLI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

In Caput XXX.

M Oritur Imp. Henricus Anno M.XXIV. III. Idus Iulij. Natus est Anno 972. Ratisbonæ pridie Nonas Maij, vt ex Ditmaro docet Fabricius in Originibus Saxonis.

In Caput XXXI.

S Et hæc altera huius historiae pars. S. Henricum Brunoni fratri suo apparuisse, Ceteratores quoque referunt Cent. XI. cap. 13. ex Crancij Metropoli, lib. 4. cap. 10. In Cod. Rebdorffensi præmittitur iste titulus. *Initium Miraculorum.* Et fortè, vt supra dictum, pars hæc librum secundum constituit, cum in Apographo Bambergensi *liber primus* disertè signetur.

In Caput XLI.

S Equentia capita fortè fortuna reperi in Codice manuscripto membranaceo Monasterij S. Crucis (quod in Ciuitate Donavverdensi situm est) plane præter expectationem, tametsi non præter mentem. Omittere piaculum duxi, cum contineant, quæ maximè ad gloriam S. Henrici illustrandam faciunt, ea nimirum quæ Deus, illius interuentu gessit, cum sacræ eius Reliquiæ Merseburgum transferrentur, ex loco vbi vitam finierat; non enim Bambergæ excesserat; de quo Hoffmānus in Annalibus Bambergensibus: *Dominicam Palmarum Alsteri, Resurrectionis verò diem Nouoburgi Monachorum celebravit. Perlustrata inde tota illa regione, cum de Halberstadio Goslarium, inde Grondam se reciperet, graui morbo tentari cepit, &c. His ita actis Imperator pietissimus & sanctissimus magno totius Imperij cum dolore vitam hanc reliquit.*